

<http://www.cn-telma.fr/enquetes/enquete8/enquete8/>

Elisabeth Lalou, Xavier Héлары. "Enquête sur les droits du roi sur certains établissements ecclésiastiques en Bretagne. 1312. (Archives nationales, J 241, n°26)", dans Enquêtes menées sous les derniers capétiens, Elisabeth Lalou, Christophe Jacobs, éd., Paris : Centre de ressources numériques TELMA, 2007. (Ædilis, Publications scientifiques, 4).

Archives nationales, J 241, n°26

Enquête
[1]

In nomine Dei. Amen. Anno a nativitate ejusdem MoCCCCo duodecimo, die jovis post Sacros Cineres, mense februarii, circa horam mered. illius diei, pontificatus sanctissimi patris ac domini domini Clementis, divina providentia pape quinti anno septimo, per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion, clerici, tanquam coram publica persona, et testium subscriptorum presentia personaliter constitutus, humilis abbas monasterii Beate Marie de Bello Loco, quondam appellat. de Ponte Pilardi, Maclovensis dyocesis, exhibuit quasdam litteras inferius anotatas, non cancellatas, non abrasas nec aliqua sui parte viciatas sed omnis suspicionis nota carentes, sub integris sigillis sigillatas, formas que secuntur continentes. Tenor prime littere talis est, ut sequitur :

Gaufridus, H. regis filius, dux Britannie, comes Richemontis, omnibus tam presentibus quam futuris salutem. Notum sit omnibus me cum assensu et voluntate Constantie uxoris mee presentis et fieri petentis, concessisse et hac mea carta confirmasse Deo et Beate Marie de Ponte Galardi et canonicis ibidem Deo servientibus, pro amore Dei et salute anime mee et dicte Constancie in puram et perpetuam elemosinam omnes donationes, concessiones, libertates et immunitates a Rollone et Alano de Dinanno, dominis Dinanni, fondatoribus abbacie supradicte factas et concessas libere et quiete in perpetuum possidendas. Volo etiam et concedo quod libere possideant quicquid per elemosinam, donationem vel emptionem in domineo meo aquisierunt et acquirere potuerunt canonici supradicti, ipsosque et homines eorum ab omni jurisdictione mea et successorum meorum exemptos et immunes in perpetuum esse volo, sine retinentia aliqua, ita ut nemini seculari sint subjecti. Concedo etiam eisdem canonicis ut quoscunque homines ad terram suam aspirandum seu de pace mea aut etiam de guerra adducant ita sint liberi sicut ipsi, nec consuetudinem alicui dent, nisi tantummodo dictis canonicis. Do etiam et concedo predictis canonicis pasturam in foresta mea de Lanmeur eorum animalibus universis, et de bosco meo ejusdem foreste quantum ad predictorum canonicorum usum necesse fuerit in futurum. Quod ut ratum et inconcussum permaneat presens scriptum, feci pro me et dicta Constancia, ad ejusdem preces sigilli mei munimine roborari testibus istis, Huberto Redonensi episcopo, Gervasio Sancti Melani abbate, Radulpho de Filgeriis, Alano de Rohan, Rollone de Dinanno, Alano Gimello, Radulpho Becherel, Herveo Hangom. , Richardo Pinchart, Hamone Scriptor., Radulpho clerico et aliis pluribus apud Redones.

Secunde littere tenor talis est :

Constancia, filia comitis Conani, ducissa Britannie, comitissa Richemondi, episcopis, abbatibus, baronibus, militibus et omnibus suis hominibus Britannie, clericis et laicis, tam presentibus quam futuris, salutem. Notum sit omnibus vobis me pro salute anime mee et Arturi filii mei, antecessorum meorum et successorum, confirmasse et concessisse Deo et ecclesie Beate Marie de Bello Loco et canonicis ibidem Deo servientibus libertates, donationes et concessiones a Rollone et Alano dominis D ani fondatoribus abbacie supradicte factas et concessas in perpetuum libere et quiete et que Gaufridus, H. regis filius, quondam maritus meus, dedit et concessit predictis canonicis, prout in carta dicti Gaufridi continetur. Volo etiam et concedo quod in pace possideant et habeant in perpetuum libere et quiete quicquid per elemosinam sibi factam vel donationem vel emptionem in domineo meo acquirere potuerunt canonici supradicti, ipsosque et eorum homines a jurisdictione mea et heredum meorum exemptos in perpetuum esse volo. Dedi insuper eis in perpetuam et puram elemosinam liberam et quietam, heremitagium meum situm in foresta mea de Lanmor quod vocatur Spiritus Sanctus, et campum situm ante portam dicti heremitagii et campum de Bomen et terram sufficientem ad unam carrucham in mea foresta predicta, et lignum ad omnes usus canonicorum predictorum et pasturam eorum animalibus universis. Volo etiam et precipio quod sepedicti canonici habeant, teneant et possideant libere et quiete cum heremitagio prenotato terram de mea foresta ad unam carrucham, sicut Radulphus de Filgeriis, tunc temporis Britannie senescallus, et servientes mei dividerunt, videlicet terram que sita est inter viam Morvan et Cadiar et inter castaneas et foveam de Castelier. Insuper concessi eisdem quicquid Morvanus de Pudelia vel ejus heredes voluerunt eis vendere vel dare vel invadiare coram legitimis testibus de molend. et terra et det. suis. Ut hec autem firma sint et in perpetuum valitura presentem cartam dedi canonicis antedictis et mei sigilli munimine roboravi ... presentibus hiis testibus : Guillelmo de Loheac, Alano de Dinanno, Rogero Becherel, Ham. clerico, Jarnag. elemosinario et aliis pluribus, apud Rethon. .

Tenor tertie littere talis est :

Constancia Conani comitis filia, ducissa Britennie, comitissa Richemondi, omnibus presentibus et futuris ad quos littere iste pervenerint salutem. Ad universitatis vestre notitiam volo venire me pro anime mee et amicorum salute in perpetuum dedisse et hac mea carta confirmasse abbati et canonicis Beate Marie de Bello Loco capellam meam Guingampi cum altare sancti Dyonisii quod est in ecclesia Beate Marie de Guingampo cum omnibus pertinentiis. Capellanus vero qui in capellania predicta pro salute mea et domini Arturi, karissimi mei filii divina celebrabit officia, procuracionem de mensa mea et provisic. in mota Guingampi et vestes sibi et clerico suo honorifice et sufficienter habebit sive presens fuero sive absens. Dedi insuper eisdem et confirmavi omnes libertates et dona que Gaufridus, H. regis filius, quondam meus maritus dedit et concessit predictis canonicis, prout in cartis predicti Gaufridi melius continetur. Volo eciam et concedo quod in pace possideant et in perpetuum teneant libere et quiete quicquid per elemosinam, donationem vel emptionem aut alias quoquomodo in dominio meo aquisierunt et aquirere poterunt predicti canonici, ipsosque omnino et meorum. Ut hec autem firma sint presentem cartam meo sigillo sub hiis testibus decrevi munimine : Alano de Dinanno, Alano, Guillelmo, Herveo, Haiag., Gregorio, Petro Cornatoris, Guillelmo filio Petri, Guillelmo filio Burg. et quampluribus aliis.

Acta sunt hec sub anno, die, mense, hora et pontificatu predictis, apud abbatiam supradictam. Quasquidem abbas predictas litteras apud se retinuit una cum quibusdam aliis et quampluribus litteris et instrumentis approbatoriis, confirmatoriis, sigillis dictorum Gaufridi, comitisse et baronum de quibus et eorum nominibus superius fit mentio sigillatis et aliis litteris sigillo Conani ducis Britannie et comitis Richem. , patris dicte Constantie sigillatis, ut prima facie apparebat, continentibus inter cetera ista verba : et concedo dicte abbacie et canonicis ibidem Deo servientibus quicquid habent et possident et adipisci poterunt per elemosinam seu donationem vel emptionem et omnia dona a quocunque sibi collata fuerint et concessa, ipsosque et eorum homines cum rebus suis immunes et liberos ab omni tallia et exactione a me et successoribus meis in perpetuum esse volo, in hiis michi nichil retinens, nisi ejusdem domus beneficia et orationes etc. Quas quidem litteras et instrumenta asserebat se habere dictus abbas ad premissa facient. et loco et tempore competenti si et prout neccesse fuerit exhidum.

In quorum omnium testimonium et certitudinem pleniorum presentes litteras ac publicum instrumentum fecit idem abbas sigilli sui appensione communiri, testibus ad hoc discreto viro Eudone Prepositi, canonico Briocensi, procuratore in hac parte domini regis Francorum, Juhello ejus fratre, Guillelmo Terrier, clerico, et Herveo Le Goullu, et Guillelmo de Leonia, ad hec vocatis specialiter et rogatis. Qui quidem abbas, die mense, ora et pontificatu predictis, nomine suo et conventus et abbacie predicti loci, procuratorio nomine ducens et asserens, ipsos abbatem et conventum fuisse de garda et resorto domini regis Francorum solum et immediate in temporalibus et dictum dominum regem fuisse et esse in possessione et sesina defendendi et tuendi eosdem abbatem, conventum, eorum homines, res et bona, per tantum temporis spatium quod sufficiebat ad legitimam, bonam possessionem et sesinam aquirendum in premissis et premissorum singulis, ipsum regem suo et quo supra nomine in dominium unicum premissorum advoabat et dumtaxat requirens suo et quo supra nomine dictum regem prout melius poterat et ejus procuratorem predictum eo nomine et quoscunque ejusdem regis officarios ut ipsos abbatem, conventum, homines, res et bona eorundem defenderent et tuerentur in premissis, jura, possessiones et sesinas eorundem. Datum ut supra, presentibus dictis testibus, teste sigillo dicti abbatis suo et quo supra nomine hiis appenso, cum protestatione prohabita quod pro eo quod idem abbas dixerit et asseruerit, ipsos abbatem et conventum fuisse et esse in possessione deffendendi et tuendi per regem ipsumque regem similiter in possessione eosdem deffendendi et tuendi, prout in illa clausula continetur ; non intendit nec astringit se ad aliquid probandum, se, conventum predictum, eorum homines, res et bona in expensis aut aliis alicui ob premissa nullatenus obligando.

[seing du notaire] Et ego Gaufridus Pelion, clericus, publicus auctoritate imperiali notarius, predictis exhibitioni, assertioni, advo acioni et aliis predictis et singulis una cum dictis testibus presens interfui et ea propria manu scripsi et in hanc publicam formam redegei signoque meo solito signavi requisitus et rogatus.

[2o pièce, cousue] Prior de Dolis t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei, Gaufridi Pelion, clerici, publici notarii, et tertium subscriptorum presentia personaliter constitutus, anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die veneris pro sacros Cineres, circa horam vesperarum illius diei mense februarii, pontificatus sanctissimi petris ac domini domini Clementis, divina providentia pape quinti anno septimo, religiosus vir prior de Dolis, ordinis sancti Florentini de Salmuro, confessus fuit se, predecessores suos in prioratu predicto fuisse ab inicio et esse de garda speciali domini regis Francorum et fuisse et esse in possessione et sesina gardiendi et defendendi per regem et regem similiter ab antiquo in possessione et sesina gardiendi eosdem, eorum homines et subjectos et defendendi, super temporalibus dicti

prioratus dictum dominum regem advoans in premissis, asseruit quod predecessores suis in prioratu predictio ac ipse prior nunquam fuerant alicui domino temporali, sive Dolensi episcopo, domino de Conbour, duci Britannie aut alii subjecti in temporalibus predictis, in fidelitatem et homagium eorum aut alterius super temporalibus dicti prioratus non intraverunt quoquomodo, et ea non intendebat facere, ut dicebat, in futurum, dicens et asserens litteras et instrumenta ad foundationem et conservationem prioratus predicti facient esse apud abbatiam de Salmuro predictam. Datum sub anno, die, hora, mense et pontificatu predictis, apud prioratum predictum, presentibus ad hec testibus religioso viro Roberto, abbate monasterii Beate Marie de Bello Loco, magistro Yvone Prepositi, dicti regis procuratore, et Guillelmo Guilloron, clericis, vocatis specialiter et rogatis.

[seing] Et ego Gaufridus Pelion (ut supra)

[3o pièce, cousue] Vetus Villa, t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die dominica in qua cantatur Invocavit me, infra horam mered. illius diei, pontificatus sanctissimi patris ac domini domini Clementis, divina providentia pape quinti anno septimo, in mei Gaufridi Pelion, clerici, tamquam coram publica persona et testium subscriptorum presencia, personaliter constituti religiosi viri abbas et prior monasterii et abbacie Veteris Ville, Dolensis dyoc., Cisterciensis Ordinis, apud Monasterium et abbatiam predictam asseruerunt et confessi fuerunt se, eorum monasterium, homines, res et bona eorum fuisse et esse de garda domini regis Francorum, et ipsum regem advoabant de garda, et insuper exhibuerunt quasdam litteras sigillo ipsius regis sigillatas, in quibus inter cetera continebatur ipsos religiosos fuisse et esse in garda domini regis, et monasterium Cisterciensis ordinis una cum omnibus monasteriis et domibus ejusdem ordinis, asserentes se habere quasdam litteras et instrumenta ad conservationem et foundationem eorum predictae abbacie facient., non tamen ad presens, sed easdem loco et tempore competente, procuratori domini regis promiserunt exhibere. Datum sub anno, die, hora, et pontificatu predictis, presente ad hoc religioso viro abbate monasterii Belli Loci, Eudone Prepositi, canonico Briocensi, Juhello ejus fratre et Guillelmo Guilloron, testibus vocatis et rogatis.

[Seing] Et ego Gaufridus Pelion [cf. supra].

[4o pièce, cousue] C. Dolensis t. et r.

Per presens instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion clerici et procuratoris domini regis Francorum infrascripti presentia, anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die lune post Invocavit me, mense februarii, in ecclesia Dolensi, circa horam prime illius diei, pontificatus ut supra, constituti venerabiles viri et discreti archidiaconus, cantor, Matheus de Ulmo et Ernaudus Seguini, canonici ejusdem Dolensis ecclesie, dixerunt et asseruerunt quod ipsi et capitulum Dolense temporalia Dolensis ecclesie de se tenebant nunquam in fidelitate alicujus de temporalibus predictis intraverant, neminem in dominum temporalem advoantes de premissis. Tamen dominum regem Francorum advoabant de garda quotienscumque erat neccesse eisdem. Datum sub anno, die, mense, hora et pontificatu predictis, presente venerabili viro Eud. predicto, canonico Briocensi, procuratore domini regis Francorum, teste ad hoc vocato et rogato.

[Seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis assertioni, advocacioni et aliis ut predicatur narratis una cum dicto procuratore presens interfui...

[5o pièce, cousue] Maclov. dyoc. t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion, clerici, et testium subscriptorum presentia constitutus religiosus vir prior prioratus Maclovensis, anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die martis post Invocavit me, circa horam complectorii illius diei, in prioratu predicto, pontificatus ut supra, respondens dixit quod dominum ducem Britannie aut aliquem baronum suorum in dominos super temporalibus dicti prioratus nullatenus advoabat, quosque ab antiquo ipse prior et ejus predecessores in eodem prioratu, pro ipso domino duce, ejus baron. tanquam pro dominis in temporalibus nunquam obedierunt nec obediret ipse prior pro ipsis in futurum et de garda advoabat, advoare intendebat et advoabit, dominum regem Francorum tamquam dominum superiorem et unicum in temporalibus dicti prioratus dum tempus affuerit et neccesse, promittens procuratori dicti regis litteras et instrumenta omnia ad foundationem et conservationem prioratus predicti facientia exhibere, et de hiis que habebat et de hiis que habebat eidem procuratori facere copiam et exemplar. Datum sub anno, die, hora, pontificatu predictis, mense februarii, presentibus testibus venerabili viro Eudoni, Prepositi, procuratore dicti regis et baillivo dicti prioratus vocatis et rogatis.

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis responsioni, advoationi, promissioni et aliis narratis una cum dictis testibus presens interfui...

[6o pièce, cousue] III. Conbour t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion, clerici, et testium subscriptorum presentia personaliter constitutus apud prioratum de Lehon dejuxta Dinam, religiosus vir prior prioratus de Conbour, ordinis Majoris Monasterii Turonensis, anno a Nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die jovis post Invocavit me, mense februarii, pontificatus sanctissimi patris ac domini domini Clementis divina providentie pape quinti anno septimo, dixit et asseruit quod dominus de Conbour qui pro tempore erat, monasterium et prioratum de Conbour predictum fundaverat et de suo curaverat et in fundatione et curatione et doctatione hujusmodi priori et monachis inibi Deo deservientibus cesserat omnes actiones, dominium, jurisdictionem omnimodam et jura eidem domino de Conbour et suis competentia et competitura in eisdem, nichil juris predicti in se retinens quoquomodo, et quod postmodum nobilis vir dominus Petrus, tunc temporis comes Britannie et Alicia, ejus uxor, comitissa, et heres Britannie principalis, dum vivebant, omnes donationes et elemosinas dictis monachis ab eodem domino de Conbour et a quocumque factas ratificaverant et confirmaverant, ut dicebat, nullam jurisdictionem dominium aut servitutum ad sese in premissis omnimodo cesserant, et de hiis eisdem monachis litteras sigillis suis dederant sigillatas patentes, facientes inter cetera mentionem quod ipsi volebant et concedebant quod si contingeret aliquos satellites ipsorum eisdem monachis et eorum hominibus vel subjectis in premissis aliquam inferre injuriam, ipsosque monachos vel eorum homines molestare super premissis inquietare aut perturbare quoquomodo, quod ipsi prior et monachi propria auctoritate possent eosdem satellites ex tunc arrestare et arrestatos detinere quousque jurassent super hujusmodi injuria, molestatione, inquietatione et perturbatione eisdem priori et monachis condignam prestare emendam et penitentiam facere et pati ad voluntatem ipsius prioris Coarleni [?]. Et quia in premissis aliqua prescriptione prejudicaretur eisdem, et eisdem litteris et virtute earundem usus fuerat ipse prior contra quosdam satellites domini ducis Britannie, dicens quod predecessores sui ac ipse prior nunquam in fidelitatem et homagium dicti ducis super premissis intraverant et pro ipso et ipsius predecessoribus aut alio in temporalibus dicti prioratus obedierint nec obediant in futurum, et advoabat dominum regem Francorum ipse prior tanquam superiorem de garda. Datum sub anno, die, mense et pontificatu predictis, presentibus ad hoc venerabili viro Eudoni Prepositi, canonico Briocensi, dicti domini regis procuratore, religioso viro priore de Mohon et Guillelmo Guilloron, clericis et testibus vocatis et rogatis.

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... assertioni, advoationi predictis et aliis narratis una cum dictis testibus presens interfui...

[7o pièce, cousue] Sanctus Maclovius de Dinanno, t. et r.

In nomine Dei. Amen. Anno a nativitate ejusdem MoCCCo duodecimo, die veneris proxima post Invocavit me, infra horam prime illius diei, pontificatus ut supra per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion ... presentia ... religiosus vir prior Sancti Maclovii de Dinanno, ordinis Majoris Monasterii Turonensis, confessus fuit prioratum suum fundatum, curatum et doctatum fuisse a reverendo patre tunc Alletensi episcopo, nunc appellato Sancto Maclov. de Insula, cujus territorium tunc erat et est a jurisdictione ducis Britann. et baronum, ut dicebat, totaliter exemptum, dicens et asserens quod predecessores sui in prioratu predicto ab antiquo fuerant ac ipse prior fuerat et erat in possessione et sesina tuendi et deffendendi per dominum regem Francorum ac ipse rex solum et immediate in possessione et sesine deffendendi in temporalibus predecessores ipsius prioris ac ipsum priorem et tuendi, ipsumque dominum regem de garda et resorto super temporalibus foundationis et curationis dicti prioratus tamquam dominum superiorem et unicum advoabat et dixit et asseruit quod nunquam pro duce Britannie aut alio de temporalibus predictis obedierat nec se subjecerat jurisdictioni eorundem, nec in fidelitatem et homagium dicti ducis aut alicujus intraverat quoquomodo, et exhibuit quasdam litteras et instrumenta ad foundationem et curationem dicti prioratus facientia, promittens easdem procuratori domini regis alias exhibere et de hiis ipsi copiam facere dum loco et tempore competenti fuerit requisitus. Datum sub anno, die, hora, pontificatu predictis, mense februarii, in prioratu predicto, presentibus ad hec religioso viro priore prioratus Sancti Martini de Lamballa, ordinis predicti, magistro Eudone Prepositi, regis predicti clecici, et Guillelmo Guilloron, clerico, testibus vocatis specialiter et rogatis. Qui quidem prior Sancti Maclovii de Dinanno presentibus litteris sigillum suum apposuit in testimonium premissorum.

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis confessioni, assertioni, exhibitioni et omnibus aliis predictis una cum dictis testibus...

[8o pièce, cousue] Sanctus Jacutus, t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion clerici et testium subscriptorum presentia personaliter constitutus apud Dinannum, in manerio Fratrum Predicatorum de Dinanno, anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die

sabbati post Invocavit me , circa horam mered. illius diei, mense februarii ... pontificatus ut supra ... religiosus vir et honestus abbas Sancti Jacuti de Insula, Dolensis dyoc., dixit et asseruit quod propter negligentiam aut corruptionem cujusdam monachi Johannis de Gravella, tunc procuratoris dictorum religiosorum se gerentis, maxime propter quod inquestam quod ipse monachus concesserat fieri inter ducem Britannie et ejus gentes ex una parte et ipsos religiosos ex alia, ut dicitur ... per curiam dicti ducis et gentes ejusdem super temporalibus abbacie predictae et monachorum predictorum, abbate dicti loci et procuratore domini regis Francorum ad hec presentibus nec vocatis etiam non interveniente dictorum regis ejus procurator, et abbatis consensu in premissis, quodque compulit dux Britannie et ejus predecessores compulerunt a viginti annis vel circa et adhuc compellit et compellere facit ille dux ipsos religiosos et eorum homines iudicio curie ipsius ducis, et injuste, ut dicebat, obedire, licet ut asserebat antea ab antiquo temporalia sua dicte abbacie a summo pontifice solum et immediate tenuerant et eo tempore tenebant, nunquam in fidelitatem et homagium dicti ducis intraverant in temporalibus predictis, ipsumque ducem in dominum advoabat in premissis nullo modo ... et advoare non volebat, sed dominum regem de garda tanquam superiore advoabat ad ipsum regem recurrere et recursum habere, intendebat et desiderabat, ut dicebat, cum effectu. Datum sub anno, die, hora, mense et pontificatu predictis, presentibus ad hec religioso viro abbate de Bello Loco, priore Sancti Martini de Lamballa, Eudone Prepositi, procuratore regis, Philippo de Redonibus et Guillelmo Guilloron, clericis, testibus vocatis et rogatis.

[Seing du notaire] Et ego Gaufridus Pelion ... assertioni, advoationi predictis et aliis narratis ... interfui ...

[9o pièce, cousue] Lehon, t. et r.

In nomine Dei. Amen. Anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die sabbati proxima post Invocavit me , mense februarii, ante horam prime illius diei, pontificatus ut supra, per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion ... presentia personaliter constitutus religiosus vir prior prioratus de Lehon juxta Dinannum ordinis Majoris Monasterii Turonensis confessus fuit prioratum suum predictum fundatum, curatum et doctatum fuisse a rege Francorum qui tunc erat, ut credebat, cujus prioratus territorium fuit ab antiquo et est a iurisdictione ducis Britannie et baronum, ut dicebat, totaliter exemptum, dicens et asserens quod predecessores sui in prioratu predicto absantiquo fuerant ac ipse prior fuerat et erat in possessione et sesina deffendendi in temporalibus predecessores ipsius prioris ipsumque priorem et tuendi, ipsumque dominum regem de garda et resorto super temporalibus dicti prioratus tanquam dominum superiorem et unicum advoabat, dicens et asserens quod nunquam pro duce Britannie aut alio de temporalibus predictis obedierat, nec se subjecerat iurisdictioni eorumdem, nec in fidelitatem et homagium dicti ducis aut alicujus intraverat quoquomodo, ratione foundationis et curationis prioratus antedicti, promictens procuratori dicti regis litteras et instrumenta ad premissa facientia quas habebat exhibere et de hiis eidem copiam facere dum loco et tempore competenti fuerit requisitus. Datum sub anno, die, mense, hora et pontificatu predictis, presentibus ad hos religioso viro priore prioratus Sancti Martini de Lamballa, magistro Eudone Prepositi, clerico dicti regis, Guillelmo de Quengov clerico et Guillelmo Guilloron, clerico. Qui quidem prior de Lehon in mei et dictorum prioris Sancti Martini, Eudonis, Guillelmi et Guillelmi testium ... presencia presentibus litteris sigillum suum proprium apposuit in testimonium predictorum.

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis confessioni, assertioni, advoationi et promissioni predictis ... interfui...

[10o pièce, cousue] De Gael, t. et r.

In nomine Dei. Amen. Anno a nativitate ejusdem MoCCCo duodecimo, die sabbati proxima post Invocavit me , infra horam mered. illius diei, mense februarii, pontificatus ut supra, per presens publicum instrumentum ut supra personaliter constitutus apud Dinam in monasterio Fratrum Predictorum de Dinanno religiosus vir abbas monasterii Sancti Menenni de Gael, Maclovensis dyoc., confessus fuit monasterium suum predictum, una cum membris ipsius monasterii, fundatum, curatum et doctatum fuisse nobiliter a rege Giquello ... dicens et asserens quod predecessores sui in monasterio predicto ab antiquo fuerant et fuerat et erat ipse abbas in possessione et sesina tuendi et deffendendi per dominum regem Francorum ; ipseque rex solum et immediate in possessione et sesina deffendendi predecessores ipsius abbatis ipsumque abbatem et tuendi, ipsumque dominum regem de garda et resorto super temporalibus dicti monasterii et ejusdem membrorum tanquam dominum superiorem et unicum advoabat, dicens et asserens quod nunquam pro duce Britannie aut alio de temporalibus predictis obedierat quoquomodo, nec se subjecerat iurisdictioni eorumdem, in fidelitatem et homagium dicti ducis aut baronum aliquorum intraverat nullo modo, et promisit gracie procuratori dicti regis de litteris et instrumentis ad premissa facientibus quas habebat et inveniret, facere copiam et exemplar. Datum sub anno, die, hora, mense et pontificatu predictis, teste etiam sigillo dicti abbatis hiis appenso ... presentibus ad hec religioso

viro priore Sancti Martini de Lamballa, magistro Eudone, canonico Briocensi et Guillelmo Guilloron, clericis, testibus.

[seing] Et ego Guillelmo Pelion cf. supra.

[11o pièce, cousue] Boq. t. et r.

Per presens instrumentum cunctis pateat evidenter quod ... religiosus vir frater Angre, monachus, baillivus et procurator, ut dicitur, religiosorum virorum abbatis et conventus monasterii Beate Marie de Boquain, Cisterciensis ordinis, Briocensis dyoc., anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die dominica in qua cantatur Reminiscere, circa horam prime illius diei, apud Dinam, pontificatus ut supra, dixit et asseruit quod nobilis vir dominus dux Britannie qui tunc erat predictum monasterium et eorum abbatiam fondaverat, curaverat et doctaverat et monachis inibi Deo deservientibus dederat et cesserat omnes actiones et jura eidem competentia et competitura in premissis, nichil juris predicti in se retinens, nisi divinam retributionem dumtaxat, dicens insuper et asserens ipse frater quod ipsi religiosi erant et sunt de garda speciali et perpetua domini regis Francorum, et de curatione, fundatione, doctatione et garda habebant, ut dicebat, litteras patentes sigillatas, et fuerant et erant in possessione et sesina ipsos deffendendi similiter et tuendi, nunquam pro duce Britannie obedierant nec se subjecerant juridicioni ejusdem, licet ad hec alias dux Britannie, ut dicebat, nisus fuit compellere eosdem, promittens procuratori dicti regis facere copiaù litterarum et instrumentorum suorum ad premissa facientiu quas habebant eidem, loco et tempore competenti exhibere. Datum sub anno, die, hora et pontificatu predictis, presentibus ad hec religioso viro priore Sancti Martini de Lamballa, venerabili viro et discreto magistro Eud. Prepositi, procuratore domini regis et Guillelmo Guilloron, testibus...

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... promissioni et aliis narratis ... interfui ..

[12o peau, cousue] Jugonium t. et r.

In nomine Dei. Amen. Anno a nativitate ejusdem MoCCCo duodecimo, per presens publicum instrumentum cunctis pateat ... quod ... personaliter constitutus apud Jugonium in dyoc. Briocensi, die lune post Reminiscere infra horam prime illius diei, pontificatus ut supra, religiosus vir prior Sancti Stephani de Jugonio, ordinis Majoris Monasterii Turonensis, Briocensis dyoc., conquerens de viro venerabili Johanne de Bugneio, nuper archidiacono Dolensi defuncto, quondam collectore annualium pro domino rege Francorum in Britannia, asseruit quod licet ipse prior cum eodem Johanne, collectore, nomine quo supra, super fructibus annalium dicti prioratus sui, ad 42 l. debilis monete finasset, et de hiis satisfecisset ipsi colletori, receperat et habuerat ipse Johannes ab eodem priore, virtute auctoritatis et commissionis sibi factis a rege predicto 120 l. bone monete, ipsis 42 l. debilis monete in eis computatis, et ad hec offerebat se legitime probaturum et consequenter venerabili viro et discreto Yvoni Prepositi, canonico Briocensi, clerico et procuratori domini regis, respondens dixit et asseruit quod predecessores sui in prioratu predicto fuerant ab antiquo et fuerat et erat ipse prior in possessione et sesina tuendi et deffendendi per regem predictum et gentes ejusdem similiter in possessione et sesina tuendi et deffendendi eosdem et eorum homines in temporalibus, ipsumque dominum regem similiter in possessione et sesina tuendi et deffendendi eosdem et eorum homines in temporalibus, ipsumque dominum regem in superiorem dominum de garda et resorto, et unicum advoabat. Datum sub anno, die, hora et pontificatu predictis, testibus ad hec presentibus dicto Yvone Prepositi et religioso viro priore Sancti Martini de Lamballa.

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis conquestioni, assertioni, responsioni et aliis narratis ... interfui ...

[13o pièce, cousue] Sanctus Martinus t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod ... religiosus vir prior Sancti Martini de Lamballa, ordinis Majoris Monasterii Turonensis, Briocensis dyoc., procuratori domini nostri regis Francorum gracie respondens dixit et asseruit quod predecessores ipsius prioris in prioratu predicto ab antiquo fuerant et fuerat et erat ipse prior in possessione et sesina per ipsum dominum regem tuendi et deffendendi, ipseque rex solum et immediate ipsum priorem et ejus predecessores tuendi et deffendendi in prioratu predicto et super possessione ejusdem et ipsum regem in temporalibus de garde et resorto in dominum superiorem et unicum advoabat, exhibens copiam quarundam litterarum sub sigillo quo tunc utebatur Turonis in curia domini regis sigillatarum, ut prima facie apparebat, ad fundationem et curationem dicti prioratus facientium, in quibus quidem litteris continebatur Gaufridum Britannorum comitem, alias Boterellum dictum prioratum de suo fundasse et quamplures res et possessiones dicto prioratu et monachis inibi Deo deservientibus dedisse in perpetuum et etiam contulisse, continente sequente clausula in eisdem huic dono inter cetera addidit et concessit talem libertatem et justiciam et dominium et dignitatem sine

retinentia, qualem in terra sua habebat, omni exactione et calumpnia et subjectione dimissa, ut nemini seculari sit subjecta. Datum apud prioratum predictum, anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die lune post Reminiscere, parum post horam tertiam illius diei, pontificatus ut supra, presentibus ad hoc discreto viro Yvone Prepositi, canonico Briocensi, Juhello ejus fratre, Guillelmo Guilloron, clericis ... qui quidem prior sigillum suum proprium presentibus litteris apposuit in testimonium premissorum.

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis responsioni, assertioni, advoacioni et exhibicioni et aliis ... interfui ...

[14o pièce, cousue] Episcopus Trecorensis t. r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod ... anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die veneris post Oculi mei, circa horam complectorii illius diei, mense martii, pontificatus ut supra, reverendus in Christo pater G[odefredus], Trecorensis episcopus, in capella in manerio ipsius episcopi appellato Loezven existente, infra mare, distante per spatium duarum leucarum a civitate Trecorensi, dixit et asserit quod predecessores sui in episcopatu predicto, utpote in territorio et infra metas civitatis Trecorrensensis ... canonici et clerici ejusdem fuerant, erant et sunt, totaliter dictum territorium et portus dicti episcopatus a jurisdictione ducis Britannie exempti ab antiquo, et quod nunquam intraverant in fidelitatem et homagium ducis super temporalibus dicti territorii. Et habebant tria paria litterarum sigillo ducis Jahen sigillatarum, continentium quod ipse dux cesserat jura et acciones sibi et suis competentes et competituras in temporalibus dicti territorii, dyocesis, loci et suis successoribus in eodem, et quod ipsi habebant altam et bassam jurisdictionem in premissis ac in portu de Rocha itum, tractum, accessum et reditum defferendi et asportandi per mare blada vitualia et neccessaria sua quite et libere ab omni exactione et coustuma, duci Britonum aut alii solvenda, et regem Francorum de garda in temporalibus dicti territorii advoabant. Datum ut supra, presentibus ad hec venerabili viro magistro Eudone Prepositi, procuratore et clerico domini regis predicti, et Guillelmo Guilloron clerico ...

[Seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis assertioni, advoacioni et aliis narratis ... interfui.

[15o pièce, cousue] Begar t. et r.

Per presens publicum instrumentum pateat evidenter quod ... religiosus vir abbas monasterii de Begar, Trecorensis dyoc., Cisterciensis ord., apud abbatiam predictam, anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die sabbati ante Letare Jerusalem, circa horam complectorii illius diei, mense marcii, pontificatus ut supra, dixit et asseruit quod comes Stephanus, comes Alanus et comes Conanus doctaverant et curaverant monasterium et abbatem predictum, confirmando unus eorum facta et donationes alterius in premissis, nichil juris in dotatione et curatione hujusmodi in se retinente, et fuerunt ab antiquo et adhuc erant in temporalibus dicte abbacie, a jurisdictione ducis Britannie totaliter exempti; nunquam in fidelitatem et homagium ducis aut ejus predecessorum de premissis intraverant, nec duci, predecessoribus suis et eorum jurisdictioni de predictis obedierant, salvo tamen de emptionibus novalibus et conquestis, confitens se habere quamplures litteras facientes ad predicta, promisit procuratori domini regis alias exhibere easdem et de ipsis quas inveniret eidem facere copiam et exemplar, presentibus ad hec testibus E. Prepositi, domini regis procuratore, fratribus Petro de Treguer, subpriore dicti loci, premissa eodem modo asserente, Alano de Pomerit. fratre abbatis du Relec et Guillelmo Guilloron, clerico ...

[Seing] Et ego Guillelmus Pelion ... predictis assertioni, confessioni, promissioni et aliis narratis ... interfui.

[16o pièce, cousue] Sancte Crucis, t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateant evidenter quod ... anno a nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die dominica qua cantatur Letare Jerusalem mense marcii, pontificatus ut supra, religiosus vir abbas monasterii Sancte Crucis de Guengampo, apud abbatiam predicti loci, exhibuit quasdam litteras ad foundationem, curationem et conservationem monasterii dicte abbacie facientes, ut prima facie apparebat, quarum prima sic incipit: Conanus dux Britannie et comes Richem. episcopis, abbatibus et universis sancte matris Ecclesie filiis etc. et sic terminatur: Gaufrido Bonifacii, Gaufrido filio Gocaelav apud Guengampum, inter cetera continentes: Concessi et sigillo meo confirmavi predicte ecclesie totam villam suam et omnes in ea habitantes liberos et quietos ab omni servitio, cunctas quoque eidem ecclesie possessiones liberas et quietas confirmavi. Item aliam clausulam que sequitur: et omnes suas possessiones bene et in pace libere et quiete et honorifice, sicut unquam melius et liberius et honorificius habuerunt et possederunt etc. Alia secunda littera sic incipit: Conanus, dux Britannie et comes Richem. omnibus sancte matris Ecclesie tam prelatibus quam subditis etc., et sic finitur: Eudo decanus,

Gaufridus filius Nonifaz Guivelli, Renierus filius Okis , inter cetera continens :
 Notificare decrevi me abbatiam Sancte Crucis de Guengampo, abbati M. et successoribus suis
 immunem ab omni subjectione, salvo jure episcopali, caritative donasse, et in perpetuum
 concessisse etc. Item tertia littera sic incipit : Universis Christi fidelibus presentes
 litteras inspecturis Johannes dux Britannie et comes Richem. salutem in Domino etc. , et sic
 finitur : Et huc hoc sit ratum et stabile presentes litteras sigilli nostri munimine duximus
 roborari, anno gratie MoCCo quinquagesimo quarto, mense septembris. Valete. , inter cetera
 continens : Concessimus etiam eis quicquid juris vel saesine ad nos in terra dicte abbacie
 libere et quiete in perpetuum possidendum etc. Quas quidem litteras ipse abbas apud se
 retinuit, promictens eas loco et tempore competenti exhibere, dicens insuper et asserens quod
 predecessores sui ab inicio erant a jurisdictione ducis Britannie in temporalibus dicti
 monasterii totaliter exempti et asseruit quod nunquam intraverant in fidelitatem et homagium
 ducis aut predecessorum suorum super premissis, ac tamen gentes dicti ducis compulerunt
 predecessores ipsius abbatis et ipsum abbatem contra eorum voluntatem et privilegium contra
 jurisdictioni ipsius ducis obedire. Datum ut suora, presentibus premissi ante exhibitionem
 dictarum litterarum priore dicti loci cum quatuor concanonice ejusdem monasterii,
 venerabili viro Eud. Prepositi, procuratore domini regis, Guillelmo Guilloron clericis,
 ipsisque procuratore et Guillelmo exhibitioni dictarum litterarum testibus ...

[seing] Et ego Gaufridus Pelion ... exhibitioni, assertioni, promissioni et aliis narratis
 ... interfui.

[17o pièce ; cousue]

Omnibus quorum interest inogtescat super fundacione monasterii Sancte Crucis juxta
 Guingampum litteras Conani ducis Britannie comitisque Richem. que sic incipiunt : Conanus,
 dux Britannie et comes Richem. episcopis, abbatibus et universis sancte matris Ecclesie
 filiis etc. , et sic terminantur : Gaufrido Bonifacii (cf. 16o pièce jusqu'à possidendum etc
) esse apud ductum monasterium Sancte Crucis de Guingampo etc. custodiri, loco et tempore
 exhibendas, ipsorum ducum et comitum veris sigillis et integris sigillatas. In quorum
 veritatis signum nos abbas predicti monasterii presentibus litteris nostrum posuimus
 sigillum. Datum apud abbatiam predictam die dominica qua cantatur Letare Jherusalem ... anno
 Domini MoCCCo duodecimo.

[18o pièce, cousue] G[uengampus] t. et r.

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod ... anno a nativitate Domini
 MoCCCo duodecimo, die dominica qua cantatur Letare Jerusalem , post horam mered. illius
 diei, fere per spatium unius leuce, mense martii, pontificatus ut supra, religiosus vir
 prior Sancti Salvatoris de Guengampo, ord. Sancti Melani Redonum apud prioratum predictum
 dixit et asseruit quod comes Conanus qui tunc erat fundaverat et dottaverat prioratum
 predictum, nichil juris sibi retinens in premissis, et habebant altam jurisdictionem in
 temporalibus dicti prioratus, nunquam intraverant in fidelitatem et homagium ducis Britannie
 aut predecessorum suorum de premissis ; ac tamen gentes dicti ducis compulerunt eosdem per
 potentiam ipsius ducis et ob impotentiam ipsorum monachorum et compelluntur contra ipsorum
 privilegia jurisdictioni ipsius ducis, ut dicebat, obedire, dicens quod habebat plures
 litteras ad premissa facientes, non tamen ad presens, sed de hiis que habebat et inveniret
 promisit procuratori domini regis Francorum facere copiam et exemplar. Datum sub anno, die,
 hora, mense et pontificatu predictis, testibus ad hec presentibus venerabili viro Eudone
 Prepositi, domini regis procuratore, fratre Thoma Tillon, monacho dicti loci et Guillelmo
 Guilloron clericis...

[Seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis assertioni, promissioni et aliis narratis ...
 interfui.

[19o pièce, cousue] Sanctus Albinus t. r.

Per presens publicum instrumentum cunctis peteat evidenter quod ... apud Sanctum Briocum in
 manerio venerabilis viri et discreti magistri Eudonis Prepositi canonici Briocensis, anno a
 nativitate Domini MoCCCo duodecimo, die veneris post dominicam qua cantatum fuit Letare
 Jerusalem , infra horam prime illius diei, mense marcii, pontificatus ut supra, religiosus
 vir frater Yvo, abbas monasterii Beati Albini de Foresta, Cisterciensis ordinis, Briocensis
 dyoc., dixit et asseruit quod super fundacione et curatione monasterii predicti, ipsius
 abbatis predecessores in dicto monasterio fuerant et erat ipse abbas et monachi ejusdem
 monasterii a jurisdictione domini ducis Britannie et quoruncunque dominorum temporalium
 penitus exempti, nunquam in fidelitatem et homagium dicti ducis aut alterius super premissis
 intraverant, et hoc facere nullatenus intendebant, confitens quod alias ipsi abbas et
 monachi dominum regem Francorum de garda requisierant, et eos gardierat, et eum de garda
 advoare volebant et intendebant quotiens neccesse fuerit eisdem. Et promisit idem abbas
 procuratori dicti regis de omnibus litteris et munimentis ad premissa facientibus quas
 habebant et invenirent facere copiam et exemplar ad ipsius procuratoris requisitionem, et

hoc jurare fideliter offerebat idem abbas. Datum sub anno, die, hora, mense et pontificatu predictis, presente ad hoc venerabili viro Eudone Prepositi, canonico Briocensi, et Guillelmo Guilloron, clericis ...

[Seing] Et ego Gaufridus Pelion ... predictis assertioni, confessioni, promissioni et aliis narratis ... interfui.

[20o pièce, cousue] Hospitalis

Per presens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter quod in mei Gaufridi Pelion ... presentia ... apud Sanctum Briocum, in manerio venerabilis viri magistri Eudonis Prepositi, canonici Briocensis, anno a nativitate Domini MoCCCCo duodecimo, die dominica in qua cantatur Judica me , infra horam mered. illius diei, pontificatus ut supra, mense martii, nobilis vir frater Gaufridus Beit L'Iau, magister et custos domus Hospitalis de Quensayo et pertinentiarum ejusdem domus, Briocensis dyoc., Hospitalis beati Johannis Jerosolimitani, dixit et asseruit quod predecessores sui in eadem domo fuerant et erat ipse frater Gaufridus super temporalibus dicti domus a juridicione domini ducis Britannie et cujuslibet alterius domini temporalis totaliter exempti ab antiquo, una cum omnibus domibus et membris domus Jerosolimitani Hospitalis in toto ducatu Britannie constitutis, nunquam in fidelitatem et homagium alicujus super premissis intraverant, ne[c] se subjecerant juridicioni alicujus super premissis quoquomodo, dominum regem Francorum tanquam dominum superiorem de garda in premissis advoabat, confitens etiam habere quamplures litteras et munimenta ad fundationem, conservacionem et promotionem dicte domus facientia, apud se retinens easdem, promisit eas procuratori domini regis loco et tempore competenti, si et prout necesse fuerit, exhibere. Datum sub anno, die, hora, pontificatu et mense predictis, presentibus ad hec venerabili viro Eudone preposito [sic] predicto, Stephano Adibav presbitero, Guillelmo Guilloron, clerico, ac Perroto, famulo ipsius magistri Gaufridi ... Qui quidem magister Gaufridus presentibus litteris in presentia mei notarii et testium predictorum presencialiter sigillum suum apposuit in testimonium premissorum.

[Seing] Et ego Gaufridus Pelion ... assercioni, advoationi et confessioni, promissioni predictis et aliis narratis ... interfui.

[21o pièce, cousue]

Universis presentes litteras inspecturis et audituris officialis curie Briocensis salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini MoCCCCo undecimo, die lune post dominicam qua cantatur Invocavit me , vidisse et diligenter inspexisse litteras inferius annotatas non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas, sigillo bone memorie Johannis, quondam episcopi Dolensis, sigillatas ut prima facie apparebat, formam que sequitur continentes :

Universis presentes litteras inspecturis vel audituris Johannes Dei gratia Dolensis episcopus salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos vidisse et diligenter inspexisse verbo ad verbum has litteras inferius annotatas in hec verba :

Conanus, dux Britannie et comes Richemondie, universis Ecclesie filiis per totum ducatum suum salutem. Notum sit vobis omnibus me dedisse et concessisse et hac mea quarta confirmasse domui Ierosolimitane Hospitalis omnes elemosinas et terras et teneuras que in ducatu meo predicte domui date sunt liberas et quietas ab omnibus consuetudinibus in omnibus locis et in omnibus partibus quorum omnium hec sunt nomina : in Trequer elemosinam de Longat, elemosinam de Loganot et de Pemiguenan et de Poderiac et de Pumiric et de Cogunat et de Plogneu et de Mael, Auroodondoed, Gallec, Enluch, Anfolled, Banezlant, elemosinam de Fen et de Brichiac et de Peunharch et se Ploenech et de Arke, et de Cothou et de Mathalou et de Bodoc, Kapsithun, Hospitalis inter duas Kemper et hospitalis super Beloen, elemosinam de Moelen et de Cloetgal et elemosinam de Guisguri in Quemenet Guegmt, elemosinas de Prisiac, hospitale de Sancto, Sancti Maloini, hospitale de Pontivi, elemosinam Alani vicecomitis, scilicet unus burgensis in unoquoque castello suo, elemosinam domini Conani duas, scilicet unus burgensis in unaquoque civitate sua et in unoquoque castello suo in Kemenet Hebgoen, elemosinam de Cleker et de Treunnatos in Broguerec, elemosinam de Launkintic et de Laustenc et de Cornellon et hospitalis in Suluniac et elemosinam de Kiristinic Blagnech et de Mollat et de Malechac et de Kestemberc et de Guernou et de Azarac in episcopatu Nannetensi et de Guevrann et domus de civitate Nannetensi cum appendiciis suis et unus homo in quaque parrochia apud Raes, et elemosinam de Ploearchinatel et de Brull et de Kessol et de Tertre Conaen et de Grandi Fonte et de Pleherel et de Cruce Haois et de Saltu Calvo et de Scablehon et de Grandivilla, et de Gangarei et de Ponte Terre et de Tenhtael et de Kaerfomirit in Comanna et Labollie cum appendiciis. Ego Conanus, Britannie dux et comes Richemundie libere et quiete concessi hec omnia domui supradicte pro amore ejusdem domus et fratris Eguen familiaris nostri, anno ab Incarnatione Domini MoCLXo, regnante Ludovico Francorum rege et Henrico Anglorum rege, Corisopitensem episcopatum Gaufrido tenente. Testes Haemo Leonensis episcopus, Gaufridus Corisopitensis episcopus, Riguallonus abbas Campelegii, Gradlonus abbas Sancti Guignaloei, prior Sancti Michaelis, Guillelmus Ferron, frater de Templo, Robertus

cancellarius duos (?), Alanus clericus, Margarita ducissa, Martinus ejus capellanus Richardus et Alanus Gemelli, Renaldus Boterel, Henricus Brerani ; Henricus fi. Haernei, Alanus Rufus, Alanus de Mota et clerus Corisopitensis ecclesie apud Kemper Corentin. Dat. hujus transcripti mense marcii anno Domini MoCCoLXXo septimo. Dat. hujusmodi visionis et inspectionis die et anno predictis, R. Corbin, Facta est collatio per me et G. Fabri.

[22o pièce, cousue] Episcopus Briocensis

Copia. Officialis Briocensis vicario Briocensi et presbitero de Pleoc necnon et omnibus presbiteris et ecclesiarum rectoribus in dyocesi et vivitate Briocensi constitutis ad quos presens littera pervenerit salutem in Domino. Quia nonnulli gerentes officium temporale libertatibus et immunitatibus ecclesiasticis ledere et minuere tamquam honoris et privilegii ecclesiarum invidi moliuntur, expedit ut contra talium ausus et cognamina oportunum remedium apponatur, ut ipse ecclesie in plenitudine juris sui et libertatis integritate letentur, ac detestabilis malignorum audacia et insolercium nepharia temeritas propulsetur. Sane, cum episcopi qui ecclesie Briocensi prefuerunt regimini et presertim dominus noster modernus episcopus Briocensis suis temporibus, nomine suo et nomine ecclesie predictae, tenuerunt, habuerunt, possederunt et gubernaverunt civitatem Briocensem et territorium de Turnegoet predictae adeo libere et nobiliter et cum tanta libertate et immunitate prerogativa et franchisia quam predicti episcopi suis temporibus, et nominibus quibus supra in predictis civitate et dioc. territorio, omnimodo jurisdictione temporali et ecclesiastica et ea que sunt meri imperii et alte justicie necnon et ea que ad arestationem, capcionem, pugnicionem contrahencium delinquentium et degentium in predictis civitate et territorio et ad quasque alias executiones p unt et pertinent exercebant per se vel per alios ab ipsis episcopis quo ad hec suis temporibus deputati et presertim ad predictum nostrum p et pertinet premissa, et premissa tenuerunt nec tenent in feodum a domino duce Britannie, nec ipsum in superiorem seu dominum agnoverunt nec agnoscunt super premissis nec districtum obediunt. jurisdictionis aliquem habet predictus dominus dux in predictis civitate et territorio nec etiam in cognoscendo, arrestando seu quibuscumque aliis que ad jurisdictionem seu executionem quemcumque pertinent, potest ipse dominus dux nec debet in predictis civitate et territorio interponere partes suas, in quorum etiam libertatis, honoris, immunitatis prerogative et franchisie fuerunt predicti episcopi suis temporibus et sic predictus dominus noster nominibus quibus supra a tempore a quo memoria hominum non existit, salvo tamen quod predicti episcopi suis temporibus potuerunt et predictus dominus noster potest nominibus quibus supra predicti domini ducis et suorum servientium et ballivorum tanquam gardie seu defensorum auxilium ecclesie invocare in subsidium juris et defensionis ecclesie Briocensis non ad prejudicandum sed ad ea que Deo sunt placida exequendum. Cumque proposuerunt contra Rollium Prepositi, gerentem se pro alloc. domini ducis in Pench. quod contra libertatem, immunitatem, prerogativam et franchisiam predictas et in prejudicium predicti domini nostri et sue jurisdictionis predictae et predictae ecclesie Briocensis, idem Roll. quemdam magistrum seu exercitorem cujusdam navis de Ispania et quosdam nautas et homines de Ispania in civitate Briocensi arestavit indebite et injuste et quasdas alias arestationes et executiones indebitas fecit de facto idem Roll. in possessionibus et terris predicti domini nostri et ecclesie prelibate et quod confessus fuit coram nobis premissa et premissorum singula, ob que predictum Roll. monuimus canonicè et competenter ut predicta commissa et attemptata et gravamina in statum pristinum infra triduum a tempore dicte monitionis reduceret et etiam revocaret. Et inhibimus eidem Roll. ne aliquid contra predictas libertatem et immunitatem, prerogativam et franchisiam et ne aliquis in prejudicium predicti domini nostri et jurisdictionis sue predictae et ecclesie predictae super hiis committeret, faceret, attemptaret aut committi, fieri, attemptari procur. aliq. ipsum Roll. quem in hiis scriptis ex cabamus nisi predictis monitioni et inhibitioni pareret cum effectu. Quibus nostris monitionis et inhibitionis scriptis predictis Roll. mala malis accumulans predictum magistrum seu exercitorem ctum et renitentem cepit ausu temerario et ipsum sic captum duxit extra civitatem et territorium predictos et in prisione domini ducis predicti apud Moncontor predictum magistrum detrusit aut detrudi fecit et procuravit, et adhuc predictus magister detinetur in predicta prisione seu carcere mancipatus. Premissa et premissorum singula contra libertatem et immunitatem prerogativam et franchisiam predictas in prejudicium predicti domini nostri et sue jurisdictionis predictae adeo notorie committendo quod non potest aliqua tergiversatione celari. Quare non est dubium predictum Roll. excommunicationis sententiam auctoritate conciliorum et auctoritate nostra incurrisse. Vobis et vestrum cuilibet insolidum mandamus quatenus ad hec exequendum unus vestrum, alterum non expectans, predictum Roll. quem ob premissa et singula premissorum in hiis scriptis adhuc excommunicamus et excommunicatum auctoritatibus quibus supra nuntiamus, excommunicatum publice nuntietis et nos certificetis. Datum die sabbati post Epiphaniam Domini, anno Domini MoCCCo undecimo. R. Corbin. Dat. hujusmodi copie die mercurii post dominicam qua cantatur Reminiscere, anno ejusdem MoCCCo undecimo.

Comment citer cette notice